

nulla in miraculi hujus descriptione venti mentio facta sit, nihilo-
minus Cap. IV, 23. aliquod ejus indicium se invenisse putat, quia ibi
dicitur: *DEUM exsicasse aquas Jordanis, uti fecit in mari rubro.* De
hoc miraculo scripsit Moses, quod *DEUS* vento orientali vehementi, qui
tota nocte flavit, mare abduxerit, illudque in siccum posuerit, Ex. XIV, 21.
Sed infirmo admodum fundamento hæc conjectura nititur, *Josua* e-
nim tantum transitum Israelitarum per Jordanem comparasse vide-
tur cum transitu eorum per mare rubrum, hæc sunt ejus verba: *In-
dicabitis filiis vestris dicendo: In arido transit Israel Jordanem hunc, nam
Dominus DEUS vester exsicavit aquas Jordanis ante vos, donec transieritis,
quemadmodum fecit Dominus DEUS vester mari rubro, quod exsicavit ante
nos, donec transierimus.* Uti videtur, tantum transitus, non vero
exsiccationis modus respicitur, meminisse debebant Israelitarum
posteriores, quod *DEUS* majoribus suis per mare rubrum & Jordanem
transitum miraculosum procuraverit. In modo certe magna est dis-
crepantia, in mari rubro flavit ventus orientalis tota nocte; De
Jordane vero refertur, quod pervenientibus Sacerdotibus ad ripam
& intingentibus pedes in aquas, istæ steterint, & in cumulum as-
surrexerint, Jos. III, 15. 16. Nulla hic venti cujusdam mentio inji-
citur. Deinde postquam populus & Sacerdotes transiissent, statim
aquæ refluxerunt, cum in mari rubro istæ post Israelitarum transitum
aliquamdiu consisterent. Porro in mari rubro aquæ instar muri con-
sistebant a dextro latere & a sinistro Ex. XI 11, 22. In Jordanis divi-
sione aquæ tantum a dextro latere in cumulum assurrexerunt, a si-
nistro enim ad mare salsum defluerunt. Mirum sane in tam proluxa
miraculi descriptione nullam venti mentionem fieri, qui si flasset,
omnibus Israelitis esset observatus.

§. XI.

Jam etiam luculentius constabit de *Josephi* narratione, qui non
contentus Scripturæ sacræ litera, multa adjungit *Josua* verbis con-
traria. Audiamus eum Lib. V. Antiquitatum Cap. I. p. m. 135. ita
loquentem: *Imperatore autem sollicito de trajectu: Annis enim auctus
aquis fluebat, & cum pontem non haberet, ne fabricari quidem hostis passurus
vide-*